



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Etiam apud Christianos frequentia adulteriorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

II.

Sueton. in
Iul. Cæs.

Promittunt omnia ut decipiant; immo decipiunt, dum promittunt. Nec feminarum est, seruire, quod promiserunt. De viris, quorum maior constantia esse solet, *fidem* hanc violantibus, prius doceamus. C. Iul. Cæsar corrumpit plurimas illustres feminas, Posthumiam Seruij Sulpirij, Lolliam Auli Gabini, Terulliam M. Crassi, & Cn. Pompei Mutiam, item Seruiliæ filiam Iuniam Tertiam M. Crassi uxorem; nec non Eunoën Mauram, Bogudis uxorem reginam. Sed, ante omnia, dilexit M. Bruti Seruiliam matrem, cui sexagesimo tertio gemmam mercatus est, Augustus quoque cum Livia, Tertullia, Terentilla, Drusilla, & Salvia scribitur adulteria exercuisse. Notum est & Tiberio Imp. propter stupra matronarum, insidias multas fuisse præparatas. Ut de Valentiniano III. Imp. de quo Stilpon, qui, præter uxorem, Micarete pellice utebatur; & de alijs taceam, Ruthenis tam exigui momenti est *fides* matrimonij, ut pro adulterijs non habeant, etiamsi maritus, apud aliam aboret, dummodo illa non sit coniugata; & ille non sit cuculus, qui ova alteri supponat aliena.

Idem in Aug.
Xiphilin. in
Claud.Gagninus
in descriptio-
ne Mo-
scouia.

III.

Emil. lib. 1.

Polydor. l. 6.
Anglic. hist.
Diog. Laërt.
lib. 2.Iouius in vi-
ta Galeacij.

Ne quis autem existimet, apud Ethnicos, ista duntaxat barbarosque vigere; multi, Christiani alioqui nominis viri fidem conjugalem ruperunt. Philippus Francorum rex, repudiata uxore Bertha, Fulconi cuidam ereptam coniugem Bertham, pro uxore habuit, donec à Romano Pontifice cogere, ea dimissa, legitimam recipere. Usque adeo etiam magni magnaque publica quoque adulteria perpetraverunt; magna quoque auctoritate, ad fidem coniugibus seruandam, adigendi. Eduinus Angliæ rex, ipso, quo rex primùm salutabatur, die, consanguineam suam, Comitis cuiusdam, uxorem incestauit, idque fecit in publico, pecorum more, ut Polydorus refert. Nempe doctrina Theodori illius, qui, apud Laërtium ait, sapientem publicè, absque pudore & suspitione, scortis congressurum. Quod & Bion Borysthenides fecit. Nihil dicam de Sandale Illiriorum rege; nihil de Galeacio Sfortia Mediolanensi duce. Inspiciantur acta publica variarum ciuitatum, audiantur querelæ coniugum & cognatorum, quanti catalogi reperientur? quot Dauidem peccando, & non poenitendo, fecerunt?

Emil.